9

QVAESTIO

NVM POSSINT EMMI. PROTECTORES Collegiorum Diui Bonauenturæ Ordinis Minorum Conuentualium erectorum in Vrbe, & Praghæ, ante finem triennij secundum Collegialium, & temporum qualitatem illos licentiare, vt Lauream Magistralem accipiant, & loco eorum alios substituere, per F. Franciscum Antonium à Coriolano eiusdem Ordinis Porretta.

S. CONGREGATIONI EMINENTISSRVM.
negotijs Regularium Præpositorum,
pro suo Doctoratu, &c.



ROMAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apostolicæ.
M. D C. L.

Superiorum permissu.



Num in Collegio Pragensi sit determinatus numerus Laureandorum in quolibet triennio.

RESpondetur Negatiuè estò institutio per felic. recor. Gregorij XV. Pontificis Maximi facta, quæ habetur in Bull. Laertij tom. 4. const. 21. eiusdem Pontificis, incipiente *In super eminenti*, determinet duodenarium numerum Collegialium, tamen non videtur esse determinatio Laureandorum, sed manutenendorum in prædicto Collegio, vt intuentibus prędictam Constitutionem patet, institutio enim fit simpliciter adinstar Collegij Diui Bonauenturæ de Vrbe, vt illa verba clarè indicant, *In prædicta domo Collegium vnum sub inuocatione S. Bonauenturæ, & eiusdem Ordinis professoris, cum omnibus, & singulis priuilegijs, prærogatiuis, & indultis Collegio S. Bonauenturæ eiusdem Ordinis de Vrbe concessis, authoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus, & instituimus*, ideo omnia, & singula priuilegia, tam realia, quàm personalia cōcessa Collegio Diui Bonauenturæ de Vrbe sunt etiam concessa Collegio Pragensi; nam per communicationem fiunt priuilegia propria cui communicantur, ita ac si essent ei specialiter concessa, ita *Oldrad. cons. 100. nu. 6. Paris. cons. 22. nu 5. Cordub. in annotationib. ad priuileg. Mend. verb. commun. priuileg. S. tandem, Rodriquez. quæst. reg. tom. 1. qu. 9. art. 9. Portella in dub. regular. verb. priuileg. num 24. & in lib. 4. Rotæ decis. 40. par. 4. recent.* ergo si adest priuilegium in Collegio de Vrbe Laureandi aliquos supra numerum alendorum in singulis triennijs, erit quoque priuilegium hoc proprium Collegio Pragensi; nam priuilegia concessa adinstar concedunt omnem fauorem, & gratiam formaliter contentam in suo exemplari, & in eodem sensu in quo continetur in suo exemplari, & cum eadem extensione, & restrictione, vt habet *Portella verb. priuileg. num. 15. &c.*

Nec officit dicere, quod etiam reliqua Collegia nostræ Religionis sunt instituta adinstar Collegij Diui Bonauenturæ de Vrbe, & tamen in eisdem Collegijs non adest mos Laureandi vltra numerum manutenendorum in singulis triẽnijs; quia generalis communicatio priuilegiorum non contrahitur ad ea in quibus specialiter est prouisum *cap. si propter de rescript. in 6. Cald. cons. 1. n. 2. Mandos. de priuilegiis adinstar. gloss. 8. n. 5. & 6.* est autem prouisum in numero Laureandorũ in reliquis Collegijs nostræ Religionis, vt patet in Collegio Meleuitano instituto per fel. rec. Pauli V. cuius exemplar inuenitur in tom. 4. Bull. Laertii const. 24. eiusdem Pontificis, vbi per particulã *dumtaxat*, sex perscribuntur tantum Laureandi Collegiales in singulis triennijs, & ita quoque prouisum est in reliquis Collegijs nostræ Religionis; in Collegio autem Pragensi esto dos fuerit pro manutentione duodecim Collegialium, institutio tamen facta fuit absque præscriptione numeri Laureandorum in singulis triennijs, ideoque in in numero Laureandorum recurrẽdum ad priuilegium Collegij Diui Bonauenturæ de Vrbe: At si deficiente loco alicuius Collegialis in prædicto Collegio de Vrbe, ex eo quod visum fuerit Eminentiss. Protectori aliquem Laureandum ante finem triennij ex aliqua rationabili causa substituitur alius, qui fuerat supranumerarius, & tamen substitutus in fine triennij etiam laureatur; ergo ita quoque practicandum in Collegio Pragensi, & hoc magis roboratur, cum etiam in primordijs ipsius Collegij Pragensis Eminentiss. ab Arach Protector eiusdem Collegij admiserit supranumerarios, & ita continuauit vsque in præsentem diem, nam in hoc vltimo triennio, quatuor ex supranumerarijs laureati fuere in prædicto Collegio Pragensi priuilegia autem recipiunt interpretationem ab obseruantia subsecuta *Rot. decis. 451. n. 3. par. 5. vol. 2. recent. & cap. cũ dilectus de consuetud. Alex. cons. 9. nu. 3. lib. 5. Put. decis. 15. nu. 2. lib. 3. Grauett. cons. 101. nu. 4. Menoch. cons. 49. n. 10. Surd. cons. 224. n. 7. Card. Mant. decis. 320. n. 5. & Card. Seraph. dec. 1410. n. 16. etc.* & esto æquè omnibus Colle-

gijs nostræ Religionis sicuti, & Collegio Pragensi omnia, & singula priuilegia Collegii D. Bonauenturæ de Vrbe fuissent concessa, non tamen non vsus prædictorum priuilegiorum, in reliquis Collegijs præiudicat Collegio Pragensi, quod semper eis vsus est, nam si vnus vtitur, & alter non vtitur priuilegio multis concesso non præiudicat non vtens vtenti: *Ita Panorm. cap. cum accessissent de const. in fin. Syluester verb. priuileg. §. 9. Rodriquez tom. 1. quæst. 55. ar. 19. &c.*

Obstant tamen aliqui dicentes non astare priuilegium in Collegio Diui Bonauenturæ de Vrbe laureandi aliquos supra numerum alendorum in singulis triennijs, sed potius esse abusum introductum ideoque non suffragare &c. Verum tamen instantia ista non videtur obstare, quia S. D. Sixtus Papa V. in Bulla erectionis Collegii, sub datum Romæ apud S. Petrum anno 1587. Kal. Ianuarij anno sui Pontific. 3. quæ incipit, *Ineffabilis Diuina Prouidentia*, nullam mentionem facit de tempore quo aliedebāt Collegiales in Collegio Diui Bonauenturæ de Vrbe, sed absolutè illud committit arbitrio Eminentiss. Protectoris, vt apparet per illa verba eiusdem Bullæ: *Prætereà Alexandro Cardinali, & pro tempore existenti Protectori prædicto, Lectorem, seu Regentem prædictum, necnon vna cum ipso Lectore, seu* Regente, *Oeconomos, Officiales, Aduocatos, Procuratores, cæterosque ministros dicti Collegij deputandi, & amouendi, necnon quæcumque statuta, ordinationes, & decreta, tam circa eiusdem Collegij, illiusque rerum, & bonorum spiritualium, & temporalium curam, directionem, regimen, & administrationem, quàm Collegialium prædictorum receptionem, & admissionem, eorumque qualitates, victum, amictum, studijq. cursus, ac tempus, per quod in dicto Collegio, ali, & confoueri debeant, ac alijs in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna, licita tamen, & honesta, ac sacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, ipsiusque Ordinis* Minorum *Conuentualium regularibus institutis non contraria faciendi, & edendi, ac illa quoties, pro rerum, & temporum qualitate, vel alias expediens videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, inter-*

interpratandi, ac alia ex integro condendi, quæ postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata, & condita fuerint eo ipso dicta Apostolica auctoritate confirmata, & approbata sint, ac esse censeantur, & ab omnibus ad quos pro tempore expectabat, etiam sub pœnis contrauenientibus statuendis obseruari debeant. plenam, liberamque facultatem concedimus, & elargimur. Ergo si tẽpus quo ali debeant in prædicto Collegio nõ est præscriptum, sed remittitur arbitrio Protectoris iuxta Collegialium, & temporum qualitatem, sequitur, quod non sit præscriptus numerus Laureandorum in vnoquoq. triennio, sed sufficit, vt quis sit admissus in prædicto Collegio functionesque necessarias compleat, & tandem sit rationabiliter à Protectore licentiatus, ad hoc vt ei debeatur laurea Magistralis.

Secundo quia neque determinatur numerus alendorum in prædicto Collegio à Sixto V. P. M. sed per illam particulam adminus positam in Bulla erectionis, clarè indicat mentem Pontificis fuisse non determinare numerum alendorum, nisi iuxta dotis exigentiam, verba autem prædictæ Bullæ sunt, in prædicta domo vnum Collegium viginti ad minus eiusdem Ordinis Min. Conu. possessorum, ac si non adest determinatus numerus alendorum; neque determinatus numerus Laureandorum &c.

Tertio quia datur potestas Protectoribus condendi leges, & statuta ex integro iuxta Collegialium, & temporum qualitatem, quæ postquã edita fuerint intelliguntur auctoritate Põtificia confirmata, ergo nil dubitandũ de potestate Protectorum, & etiam si per vnum, vel duos dies post admissionẽ esset quis à Protectore ex aliqua rationabili causa licentiatus cognita eius sufficientia, esset legitimè Laureandus, & inde in deficientis locum alius substituendus electus ex iis, qui fuerunt à Generali Ministro præsentati &c.

Neque verba prędictæ Bullæ erectionis cõtrariam interpretationem admittunt, quia sunt clara, & verba clara interpretationem non admittunt *l. licet Imperator. ff. de legat. & l. si quis filium, C. de liber.* & si aliquam interpretationem admittere

deberet

deberent, illa esset latè facienda, quia priuilegium, quando continet fauorem, & Beneficium Principis est latè interpretandum *Sy,uest.verb.dispensatio,§.5.Couarr.in 4.2.par.cap.8.§.8. Rodriq.tom.1. q.2. art.9. Portella verb.priuilegium nu.43.*

Et etiam si Eminentiss Protectores (ex hyppotesi) non habuissent priuilegium condendi noua statuta, & constitutiones vsus laureãdi aliquos supra numerum alendorum in singulis triennijs de licentia Protectorum, esset etiam legitimus, qui introductus fuisset ex consuetudine interpretatiua legis, quæ consuetudo, quando est interpretatiua legis non modo valet ratione consuetudinis, sed ratione legis, *ita Panorm.cap. cum dilectus n.7.de consi. Soccin.cons.148. n.2.leg.1. Aret. cons.11. n.5. Aym.cons.201.n.12. Barbos.Lusitan.in leg.1.post dotem,ff. solut.matrim.n.48.* Rodriq.*tom.1.quæst.2.art.*8. & ad inducendam hanc consuetudinem, non requiritur præscriptio, sed sufficit binus, vel ternus actus, vt habet Aretinus, Soccinus, Aymon. locis supra citatis, & multi alij legisperiti, &c. & etiam dato, quod consuetudo, hæc laurandi aliquos supra numerum in singulis triennijs, non esset declaratiua legis, cũ sit saltem præter legem, & sit præscripta spatio decem annorum, habet vim legis *Abb.in cap.cum sint homines n.6.de decimis. Put.decis.154.n.7.lib.1. Mascard.de probat.concl.424.n.24 Iason.in l.de quibus n.47.ff.de leg. Villal.in suis commun.concl. in verb.consuetudo introducitur. Io.Monach.de iurepatron.lib.1. num.17. gloss.in cap.fin. de consuetud.lib.6. Corn.cons.89.col.4. vol.1. Alex.cons.45.n.8.vol.2. immo Couar.lib.1.variar.cap.17. n.8. vers.quando leg.5.tit.2.pag.1.* & alij aiunt, quod etiam ad præscribendam consuetudinem, quæ est contra legem sufficit spatium decem annorum.

Et tandem soluitur plenariè instantia, cum ille sit censendus abusus, qui est irrationabilis, contra legem, & non præscriptus, hic autem est præscriptus in vtroque Collegio, nam in Collegio Diui Bonauenturæ in Ciuitate Praghæ erecto, vsus iste inoleuit à primordijs suæ institutionis, & in Collegio Diui Bonauenturæ de Vrbe priusquam fuisset institutum

Colle-

Collegium Pragense, non est contra legem, quia nulla lex determinat tempus, quo illi debent Collegiales in prædictis Collegijs, quo non expleto inhabiles reddantur ad Magisterij lauream, & tandem, non est irrationabilis, quia finis erectionis prædictorum Collegiorum est eruditio professorum nostræ Religionis, at si quis esset sufficiẽter eruditus, vt possit laudabiliter lauream Magistralem adipisci, & nõ posset ex aliqua rationabili causa diutius morari in Collegio, vti fuit illa Fr. Francisci Antonij à Coriolano, nam rigor, & friggiditas regionis, & alimentorum inopia, quæ ibi reperiebatur ob Bellum Pragæ proximum anno 1642. non permittebant illum diutius ibi morari, non est rationabile, vt laurea Magistrali priuetur, quando autem non constat clarè de consuetudinis iniustitia, præsumitur rationabilis, & sic legem tollit, vt habetur *in cap. cum dilectus de consuetud. & l. venditor. § si constat ff. commun. prad. & leg. de quibus, ff. vt legib. vbi Bald. D. Thomas par. 2. quæst. 97. art. 3. Bart. in l. 2. n. 3. C. quæ sit long. consuetud.* Rodriq. *tom. 1. quæst. 69. art. 1.*

Ergo cum Fr. Franciscus Antonius à Coriolano legitimè fuerit admissus in Collegio Pragensi, ibique peregisset omnia munia collegialibus necessaria, & ex rationabili causa nimirum ob incurabile, & graue morbum, obtinuerit licentiã ab Eminentissimo de Arach illius Collegij Protectore, vt è Collegio discederet, & Italiam peteret, cum commissione vt à Generali laurearetur, quo morbo inde diutius laborauit, non est laurea Magistrali sibi debita priuandus, & eo vel magis cum semper inde vsque in præsentem diem etiam infirmus eodem morbo, se exercuerit in lecturis sub titulo Regentis, quæ non solent tribui, nisi eruditioribus nostræ Religionis.